



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Praxis Cvræ Pastoralis Præcipve Circa Repentina &
Generaliora**

Possevino, Giovanni Battista Bernardino

Coloniæ Agrippinæ, 1645

Confessarij erga pœnitentes quales esse debeant.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42220

men & cognomen, quarto parochiam in qua pœnitens habitat. In calce Confessarius nomen & cognomen suum scribat cum titulo beneficij vel officij Ecclesiastici, à quo cōmunicer denominari solet, veluti, Rector, Vicerector, Canonicus, vel Sacellanus Ecclesiae N. vel si Regulatis sit habitans in Monasterio N. Atqui quicquid in attestationum albis scribendum est, totum id ipsiusmet Confessarij manu scribatur, vel saltem dies, mensis, ac ipsius Confessarij subscriptio. Utile præterea erat si Confessarij omnes in tabulis nomen & cognomen scribant eorum, quibus dictas attestationes subscriptas tradiderunt, seruentque eas tabulas penesse, vel post octauā Paschæ nobis, aut si in Diœcesi sint, Vicarijs nostris forensibus exhibeant, idque ut exactius animaduertere possimus, num fraus aliqua in dictis attestationibus à non confessio quodam facta sit.

Pro maiore Confessoriorum instructione, atque in iuuandis eorum animabus, quibus Pœnitentiæ Sacramentum administrarunt, ut certa quadam forma vtantur, qua pœnitentes in gratia accepta perseverare, ac progressum facere doceant, infra scriptas adiunximus admonitiones.

*Confessarij erga pœnitentes quales esse
debeant.*

Confessarij omnes, quemadmodum Patres spirituales decet, circa pœnitentes suos summam prudentiam adhibeant, neceſſe est, ut instruantur, diriganturque paulatim ad virtutes Christiano homine dignas. Peculiariter autem

Gg indu-

industriam & studium suum erga eos magis explicare debebunt, qui in Patres sibi Confessarios suos cooptant, ut ad eos in dubijs & controversis suæ conscientiæ rebus quotidiè, tum pro consilio, tum pro expiandis peccatis possint accurrere. Qui quidem ad eum modum filios suos spirituales in bono proposito confirmare nitantur, ut constantissimè sibi proponant potius, quam diuinam Maiestatem offendant mortaliter, non solum bona ac honores, sed etiam vitam profundere, viuumque præferant, & salutare desiderium secundum sanctissimam Dei voluntatem totam vitam suam expendere.

Confessarij finem, ob quem sunt creati, suis pœnitentibus proponant.

Quare finem, ob quem creatus est homo, eis ob oculos ciebro ponant; qui quidem est servire & obedire in hac vita diuinæ Maiestati, & in altera in omnem æternitatem eadem frui, aliaque similia; ac proinde debere hominem exfuscitare animum, & vires sibi sumere, salutique suæ cooperari, atque eatenus rebus omnibus vti, vel abstinere, quatenus ad hunc finem consequendum adminiculo, vel impedimento esse possint; ad extremum, huc se totos actionesque suas, atque vniuersa quæ in hac vita possident destinare, ita vt in victu, vestitu, consuetudine vitæ, negotijs, omnibusque alijs exercitationibus ira sele gerant, vt omnia quasi quædam adiumenta eis esse possint ad ultimum finem, cui conditi sunt, consequendum. Cæterum, ipsi pœnitentes paratos se se exhibeant,